

è cod. Vat. n. 1200.

ΕΙΟΥΝΕΓΩΝΕΝΙΨΑ  
ΥΜΩΝΤΟΥΣΠΟΔΑΣΟΚ<sup>c</sup>  
ΚΑΙΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ  
ΜΙΘΘΟΣΟΥΛΟΓΙΖΕΤΑΙ  
ΚΑΤΑΧΑΡΙΝΑΛΛΑΚΑΤΑ  
ΟΦΕΙΛΗΜΑ

Inexpectata prorsus atque singulari quadam benevolentia munus mihi delatum est, finem feriarum veneranda VIRI MAGNIFICI auctoritate, PATRVMque almae Albertinae amplissimorum, vobis palam denuntiandi, *Cives Academici*, vosque admonendi, ut alacriter ad Academiae hujus exedras conuoletis, variis pro vitae conditione, cui vosmetipsos devovistis, doctrinae studiis morumque praeceptis percolere animum adnisi, quorum illa splendoris amittunt magnam partem atque utilitatis, horum nisi face refulgeant, et lumine collustrata, vel etiam moderamine teneantur, tam nobis ipsis salutari, quam in omnes benefico. Tanta vero cum sint sedulae et assiduae juventuti decora conquirenda, nullo non tempore maximam proborum omnium existimationem, et per omnem vitam in rebus agendis atque sustinendis suavissimam fiduciam ac levamen *Vobis* comparatura, integram et vegetam aetatem, *Cives optimi*, viresque intendite, καὶ ἐνΦανείη.

Obtigit mihi nuperrime, ita esse felicem, ut inter varios libros manuscriptos, quos Conservatores atque Custodes splendidissimae bibliothecae summi Galliarum Imperatoris eximia humanitate mihi examinandos concessere, praestantissimum codicem Vaticanum pertractare liceret; quod tunc temporis jucundissimum mihi jam eo gratius accidit, cum videam, me inde conquisivisse materiem, aliquo munusculo *Vos* demerendi non in-